

M I S S Æ P R O P R I Æ  
**P A T R O N O R V M**  
 E T  
**F E S T O R V M**  
 R E G N I P O L O N I Æ,  
 Ad normam **M I S S A L I S R O M A N I**  
 accommodatæ.

**L**ébar: & meditâbar in mandâtis tuis, quæ dilexi nimis. **Pfalm.** **B**eati immaculati in via: qui ambulânt in lege Dómini. **v.** Glória Patri.

**Oratio.**

**D**eus, qui inter cétera poténtiæ tuæ miracula, étiam in sexu frágili victóriam martyrii contulisti: concède propítius: ut qui beátæ Bárbaræ vírginis & mártiris tuæ natalítia cólimus, per ejus ad te exémpa gradiámur. Per Dóminum nostrum Iesum Christum.

**L**éctio libri Sapiéntiæ.

**C**onfitêbor tibi Dñe Rex, & collaudâbo te Deum Salvatôrem meum. Confitêbor nómini tuo: quóniam adjûtor & protêctor factus es mihi: & liberásti corpus meum à perditíone, à láqueo linguæ iniquæ, & à lábiis

quentium ánimam meam, & de multis tribulatióibus, quæ circúdedérunt me: à pressúra flammæ, quæ circúmdedit me, & in médio ignis non sum æstuâta: de altitúdine ventris ínferi, & à lingua coinquinâta, & à verbo mendácii, à rege iníquo, & à lingua injústa. Laudâbit usque ad mortem ánima mea Dóminum: quóniam éruis sustinéntes te, & liberas eos de mánu angústia, Dómine Deus noster.

**Graduale.** **D**ilexisti justítiam, & odisti iniquitâtem. **v.** Propterea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætitiæ. **A**llelúja, allelúja. **v.** Adducéntur Regi vírgines post eam, próximæ ejus afferéntur tibi in lætítia. Allelúja.

**S**equéntia sancti Euangélii secúndum Matthæum.

**I**n illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis parábolam hanc:

K A L E N D A R I V M  
**P A T R O N O R V M E T F E S T O R V M**  
 R E G N I P O L O N I Æ.

FESTA DECEMBRIS.

Die iij. S. Barbaræ virg. & mart. **dupl.** 3

FESTA FEBRUARII.

Die j. S. Brigidę virginis. **duplex**, in Ecclesia Plocenfi. 4

Die vj. S. Dorotheæ virg. & mart. **dup.** 5

Die vij. S. Romualdi Abbatis. **duplex.** 5

FESTA MARTII.

Die iij. S. Casimiri confess. **duplex, cum comm.** S. Lucii Papæ & mart. 5

Die v. Translatio S. Venceslai martyris. **duplex**, in Ecclesia Cathedrali Cracoviensi. 7

Die x. SS. Cyrilli & Methodii Confess. **duplex**, in Ec-

liæ S. Iacobi, nisi sit Patrona aut Titulus Ecclesiæ. 16

FESTA AVGVSTI.

Die xvj. S. Hyacinthi confessoris. **duplex, cum commemoratione** Octavæ Assumptionis B. Mariæ, & Octavæ S. Laurentii. 17

Die xix. S. Benignæ virginis & martyris, in Dicecesi Vladislaviensi. **duplex, cum commem.** Octavæ Assumptionis B. Mariæ. 18

Die xxix. S. Sabinæ martyris in Ecclesia Cathedrali Posnaniensi. **duplex.** 19

FESTA SEPTEMBRIS.

S. Dalmatii martyris, in Dicecesi

M I S S Æ P R O P R I Æ

P A T R O N O R V M

E T

F E S T O R V M

R E G N I P O L O N I Æ.

F E S T A D E C E M B R I S.

In festo sanctæ Barbaræ virginis & martyris. Introitus.



Oquēbar de testimōniis tuis in conspēctu Regum, & non confundēbar: & meditābar in mandātis tuis, quæ dilexi nimis. **Psal.** Beati immaculati in via: qui ambulat in lege Domini. **V.** Glória Patri.

Oratio.

**D**eus, qui inter cetera potentia tuæ miracula, etiam in sexu fragili victoriam martyrii contulisti: concède propitius: ut qui beatae Barbaræ virginis & martyris tuæ natalitia colimus, perejus ad te exempla gradiamur. Per Dominum nostrum Iesum Christum.

Lectio libri Sapientia.

**C**onfitebor tibi Dñe Rex, & collaudabo te Deum Salvatorem meum. Confitebor nomini tuo: quoniam adiutor & protector factus es mihi: & liberaisti corpus meum a perditione, a laqueo linguæ iniquæ, & a labiis

operantium mendacium: & in conspectu astantium factus es mihi adiutor. Et liberaisti me secundum multitudinem misericordiae nominis tui a rugientibus, preparatis ad escam: de manibus quaerentium animam meam, & de multis tribulationibus, quæ circumdederunt me: a pressura flammæ, quæ circumdedit me, & in medio ignis non sum aestuata: de altitudine ventris inferi, & a lingua coinquinata, & a verbo mendacii, a rege iniquo, & a lingua iniusta. Laudabit usque ad mortem anima mea Dominum: quoniam eruis sustinentes te, & liberas eos de manu angustia, Domine Deus noster.

**Graduale.** Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem. **V.** Propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ. **Allelúja**, allelúja. **V.** Adducuntur Regi virgines post eam, proximæ ejus afferentur tibi in lætitia. **Allelúja.**

Sequentia sancti Evangelii secundum Matthæum.

**I**n illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc:

Pf.44.

ibid.

Matt. 25.

XV. 20532A  
2-0-2022

Símile erit regnum cælòrum decem virgínibus : quæ accipiéntes lámpades suas , exiérunt óbviám sponso & sponsæ. Quinque autem ex eis erant fátuæ, & quinque prudéntes : sed quinque fátuæ, accéptis lampádibus , non sumpserunt óleum secum. Prudéntes verò accepérunt óleum in vasis suis cum lampádibus. Moram autem faciéntem sponso , dormitavérunt omnes, & dormiérunt. Média autem nocte clamor factus est : Ecce sponsus venit, exíte óbviám ei. Tunc surrexérunt omnes vírgines illæ, & ornavérunt lámpades suas. Fátuæ autem sapiéntibus dixérunt : Date nobis de óleo vestro : quia lámpades nostræ extingúuntur. Respondérunt prudéntes , dicéntes: Ne fortè non sufficiat nobis & vobis; ite pótiùs ad vendéntes, & émite vobis. Dum auté irent émere, venit sponsus : & quæ parátæ erant , intravérunt cum eo ad nuptias, & clausa est jánuá. Novíssimè verò véniunt & réliquæ vírgines, dicéntes : Dómine, Dñe, áperi nobis. At ille respóndens , ait : Amen dico vobis, nescio vos. Vigilate itaque , quia nescitis diem, neque horam.

**Offertorium.** Afferéntur Regi vírgines post eam: próximæ ejus afferéntur tibi in lætítia & exultatióne, adducéntur in templum Regi Dómino.

**Secreta.**

**S**uscipe Dómine múnera, quæ in beátæ Bárbaræ vírginis & mártiris tuæ solemnitáte deférimus: cujus nos confidimus patro-

cinio liberári. Per Dóminum nostrum Iesum Christum.

**Communio.** Confundántur superbi, quia injústè iniquitátem fecérunt in me : ego autem in mandátis tuis exercébor, in tuis justificatióibus, ut non confundar.

**Postcommunio.**

**A**uxiliéntur nobis , Dómine, sumpta mystéria: & intercedente beáta Bárbara vírgine & mártire tua , sempitérna fácient protectiÓne gaudére. Per Dóminum nostrum.

FESTA FEBRUARII.

In festo sanctæ Brigidæ virginis.

**Introitus.**



Dilexisti justitiam, & odisti iniquitátem : propterea unxit te Deus , Deus tuus , óleo lætítie præ consórtibus tuis. **Psal-**

**mus.** Eructávit cor meum verbum bonum : dico ego ópera mea Regi. **V.** Glória Patri.

**Oratio.**

**O**Mnípotés sempitérne Deus, qui es sanctárum glória virtutum , cleméntiam tuam súpplices exorámus : ut per mérita beátæ vírginis tuæ Brigidæ , opportúnum tuæ pietátis auxiliúm sentiámus. Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum. Qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritus sancti Deus.

**L**ectio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

**F**ratres, Qui gloriátur, in Dómino gloriétur. Non enim

qui

Psal.  
118.

Die  
J.

Pf. 44.

Ibid.

2. Cor.  
10.  
11.

qui se ipsum commendat, ille probatus est: sed quem Deus commendat. Utinam sustineretis modicum quid insipientiae meae: sed & supportate me. Aemulor enim vos Dei aemulatione. Respondi enim vos uni viro, virginem castam exhibere Christo.

**Graduale.** *S*pecie tua, & pulchritudine tua: intende, prospere procede, & regna. *Ps.* Propter veritatem, & mansuetudinem, & iustitiam: & deducet te mirabiliter dextera tua. *A*lleluja, allel. *Ps.* Haec est virgo sapiens, & una de numero prudentum. Alleluja.

**Post Septuagesimam omisso Alleluja, & versu sequenti, dicitur Tractus.** *A*udi filia, & vide, & inclina aurem tuam: quia concupivit Rex speciem tuam. *Ps.* Vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis, filiae regum in honore tuo. *Ps.* Adducuntur Regi virgines post eam: proxima ejus afferentur tibi. *Ps.* Afferentur in letitia & exultatione: adducuntur in templum Regis.

**Evangelium.** Simile est regnum caelorum decem virginibus. *ut in Communi Virg. & Mart.*

**Offertorium.** Filiae regum in honore tuo, assistit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate. **Secreta.**

**M**vnera tibi Domine dicata sanctifica: & intercedente beata Brigida virgine tua, per eadem nos placatus intende: Per Dominum nostrum.

**Communio.** Quinque prudentes virgines acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus: media

autem nocte clamor factus est, ecce sponsus venit, exite obviam Christo Domino.

**Postcommunio.**

**S**atiasti Domine, familiam tuam munere sacris: ejus quaesumus semper interventione nos refove, cujus solennia celebramus. Per Dominum nostrum Iesum Christum.

**Sanctae Dorotheae virginis & martyris, Missa.** *M*e expectaverunt peccatores. **in Communi Virginum & martyrum.**

**Sancti Romualdi Abbatis, Missa.** *O*s justi meditabitur. **de Communi Abbatum.**

F E S T A M A R T I I.

**In festo sancti Casimiri confessoris. Introitus.**



**O**s justi meditabitur sapientiam, & lingua ejus loquetur iudicium: lex Dei ejus in corde ipsius. **Psalm.** *N*oli aemulari in malignantibus: neque zelaveris facientes iniquitatem. *Ps.* Gloria Patri.

**Oratio.**

**D**eus, qui inter regales delicias intactum a mundi illecebris spiritum sancti Casimiri confessoris tui conservasti: fac quaesumus: ut tui fideles ita in tuo amore firmantur, ut & terrena despiciant, & ad caelestia semper aspirent. Per Dominum nostrum Iesum Christum.

## Pro commemoratione sancti

Lucii Papæ &amp; martyris.

## Oratio.

**D**Eus, qui nos beati Lucii martyris tui atque Pontificis annua solemnitate lætificas: concede propitius: ut cujus natalitia colimus, de ejusdem etiam protectione gaudeamus. Per Dominum nostrum.

## Lectio libri Sapientiae.

Eccli.  
31.

**B**Eatus vir, qui inventus est sine macula, & qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunia & thesauris. Quis est hic, & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua. Qui probatus est in illo, & perfectus est, erit illi gloria æterna: qui potuit transgredi, & non est transgressus: facere mala, & non fecit: ideo stabilita sunt bona illius in Domino, & elemosynas illius enarrabit omnis Ecclesia sanctorum.

Ps. 91.

**Graduale.** Iustus ut palma florebit: sicut cedrus Libani multiplicabitur in domo Domini. *Ps.* Ad annuntiandum manè misericordiam tuam, & veritatem tuam per nocte.

Psal.  
111.

**Tractus.** Beatus vir, qui timet Dominum, in mandatis ejus cupit nimis. *Ps.* Potens in terra erit semen ejus, generatio rectorum benedicetur. *Ps.* Gloria & divitiæ in domo ejus: & justitia ejus manet in sæculum sæculi.

Sequentia sancti Evangelii  
secundum Lucam.Lucæ  
12.

**I**N illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris. Et vos similes

hominibus expectantibus dominum suum, quando revertatur à nuptiis: ut, cum venerit & pulsaverit, confestim aperiant ei. Beati servi illi, quos, cum venerit dominus, invenerit vigilantes. Amen dico vobis, quod præcinctus se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis. Et si venerit in secunda vigilia, & si in tertia vigilia venerit, & ita invenerit: beati sunt servi illi. Hoc autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias qua hora fur veniret, vigilaret utique, & non sineret perfodi domum suam. Et vos estote parati: quia qua hora non putatis, filius hominis veniet.

## Credo.

**Offertorium.** Veritas mea, & misericordia mea cum ipso: & in nomine meo exaltabitur cornu ejus.

Ps. 88.

## Secreta.

**S**uscipe, misericors Deus, hæc tuæ plebis obsequia, & cælestia munera expectantis petitiones propitius exaudi. Per Dominum nostrum.

## De sancto Lucio. Secreta.

**M**vnera tibi Domine dicata sanctifica: & intercedente beato Lucio martyre tuo atque Pontifice, per eadem nos placatus intende. Per Dominum nostrum Iesum Christum.

**Communio.** Beatus servus, quem, cum venerit dominus, invenerit vigilantem: amen dico vobis, super omnia bona sua constituet eum.

Matth.  
24.

## Postcommunio.

**C**ælesti alimonia satiati, ad te Domine cuncti confugimus:

ut

ut qui multorum criminum pondere premimur, per sancti Casimiri merita ad te levemur. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum.

**Pro commemoratione S. Lucii, Postcommunio.**

**H**æc nos communitio, Domine, purget à crimine: & intercedente beato Lúcio mártire tuo atque Pontífice, cælestis remédii faciatis esse consórtes. Per Dominum nostrum.

**In festo Translationis sancti Venceslai martyris.**

**Introitus.**



Etabitur justus in Domino, & sperabit in eo: & laudabuntur omnes recti corde. **Psalm.** Ex-

audi Deus orationem meam cum deprecor: à timóre inimici eripe animam meam. **V.** Glória Patri.

**Oratio.**

**D**eus, qui beati Venceslai nobilitatem in meliorem mutasti dignitatem, & eum per martyrii palmam ad cælestem perduxisti gloriam: ejus precibus nos, quæsumus, ab omni adversitate libera, & æternæ beatitudinis concède perfrui gloria. Per Dominum nostrum.

**L**ectio Epistolæ beati Petri Apóstoli.

**C**harissimi: Communicantes Christi passionibus, gaudete: ut & in revelatióne glóriæ ejus gaudeatis exultantes. Si exprobrámini in nómine Christi, beati

eritis: quóniam quod est honoris, glóriæ, & virtútis Dei, & qui est ejus spíritus, super vos requiescit. Nemo autem vestrum patiatur ut homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienórum appetitor. Si autem ut Christiánus: non erubescat, gloríficet autem Deum in isto nómine. Quóniam tempus est, ut incípiat judícium à domo Dei. Si autem primùm à nobis: quis finis eórum, qui non credunt Dei euangélio? Et si justus vix salvabitur: impius & peccátor ubi parébunt? Itaque & hi qui patiuntur secundùm voluntatem Dei: fideli creatóri commendent animas suas in benefactis.

**Graduale.** **I**ustus cum ceciderit, non collidetur: quia Dominus supponit manum suam. **V.** Tota die miseretur, & commodat: & semen ejus in benedictiône erit.

**Tractus.** **B**eatus vir, qui timet Dominum: in mandatis ejus cupit nimis. **V.** Potens in terra erit semen ejus, generatio rectórum benedicetur. **V.** Glória & divitiæ in domo ejus: & justitia ejus manet in sæculum sæculi.

**S**equéntia sancti Euangélii secundùm Matthæum.

**I**n illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis. Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam. Qui autem perdidit animam suam propter me, inveniet eam. Quid enim prodest homini, si universum mundum lucratur, animæ

vero suæ detrimētum patiātur? Aut quam dabit homo commutatiōnem pro ánima sua? Fílius enim hóminis ventūrus est in glória Patris sui cum ángelis suis: & tunc reddet unicuīque secúndum ópera ejus. **Dicitur C** redo.

*Pf. 20.* **Offertorium.** **P** osuisti Dómine in cápite ejus corónam de lápide pretiósó: vitam pétiit à te, & tribuísti ei.

**Secreta.**

**A** Ccépta sit in conspéctu tuo, Dómine, nostra devótio: & ejus nobis fiat supplicatiōne salutáris, pro cujus solemnitate defératur. Per Dóminum nostrum Iesum Christum.

*Ionn. 12.* **Communio.** **Q** ui mihi minístrat, me sequātur: & ubi sum ego, illic & miníster meus erit.

**Postcommunio.**

**R** efécti participatiōne múnerris sacri, quæsumus Dómine Deus noster: ut cujus exequimur cultum, intercedente beáto Venessáo mártire tuo, sentiámus effectum. Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum. Qui tecum vivit & regnat in unitate.

*Die x.* **In festo sanctorum Cyrilli & Methodii confessorum & Pontificum. Introitus.**

*Pfal. 131.*



*Ibid.*

**S** acerdotes tui Dómine, induant justitiam: & sancti tui exúltent: propter David servum tuū, non avértas faciē Christi tui. **Psal.** **M** eménto Dómine David: & omnis mansuetudinis ejus. **Ps.** Glória Patri.

**Oratio.**

**O** Mnípotés sempitérne Deus, qui nos per beátos Pontífices & confessores tuos Cyrillum & Methódium ad unitatem fidei Christiánæ vocáre dignátus es, præsta quæsumus: ut qui præsentí eórum festivitáte lætámur, ipsórum étiam méritis glóriam consequi mereámur ætérnam. Per Dóminum nostrum.

**Epístola.** **P** lures facti sunt sacerdotes. **ut in Comuni Confessoris Pontificis.**

**Graduale.** **S** acerdotes ejus induam salutári: & sancti ejus exultatiōne exultábunt. **Ps.** Illuc producam cornu David: parávi lucérnam Christo meo. *Pfal. 131.*

**Tractus.** **Q** ui séminant in lácrimis, in gáudio metent. **Ps.** Eúntes ibant & flebant, mitténtes sémina sua. **Ps.** Veniéntes autem vénient cum exultatiōne, portántes manipulos suos. *Pfal. 125.*

**Euangelium.** **V**igilate, quia nescitis qua hora. **de Comuni Confessoris Pontificis.**

**Offertorium.** **M**irábilis Deus in sanctis suis: Deus Israél, ipse dabit virtutem & fortitudinem plebi suæ: benedíctus Deus. *Pf. 67.*

**Secreta.**

**O** blátis, quæsumus Dómine, placáre muneribus: & intercedéntibus sanctis tuis Cyrillo & Methódio, à cunctis nos defénde perículis. Per Dóminum.

**Communio.** **Q**uod dico vobis in ténebris, dícite in lúmine, dicit Dóminus: & quod in aure audítis, prædicáte super tecta. *Matt. 10.*

**Post-**



Postcommunio.

**P**raesta nobis, quaesumus Domine, intercedentibus sanctis confessoribus tuis Cyrillo & Methodio, ut quod ore contingimus, pura mente capiamus. Per Dominum nostrum.

FESTA APRILIS.

In festo sancti Adalberti Episcopi & martyris, Regniq[ue] Poloniae Patroni. Introitus.



Rotexisti me Deus a conventu malignantiu[m], alleluja: a multitudine operantium iniquitatem, alleluja, alleluja.

**Psal.** Exaudi Deus orationem meam cum deprecor: a timore inimici eripe animam meam. V. Gloria Patri.

Oratio.

**T**vam nobis indulgentiam, quaesumus Domine, beatus Adalbertus Episcopus & martyr impleret: ut & delicta nobis clementer ignoscas, & beneficia desiderata concedas. Per Dominum nostrum.

Lectio Epistolae beati Pauli Apostoli ad Hebraeos.

**F**ratres: Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quae sunt ad Deum: ut offerat dona & sacrificia pro peccatis. Qui condolere possit iis qui ignorant & errant: quoniam & ipse circumdatus est infirmitate. Et propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam & pro semetipso offerre pro peccatis. Nec quis-

quam sumit sibi honorem: sed qui vocatur a Deo, tamquam Aaron. Sic & Christus non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret: sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quemadmodum & in alio loco dicit: Tu es sacerdos in aeternum, secundum ordinem Melchisedech.

**A**lleluja; alleluja. V. Surrexit pastor bonus, qui posuit animam suam pro ovibus suis, & pro grege suo mori dignatus est. Alleluja. V. Posuisti Domine super caput eius coronam de lapide pretioso. Alleluja.

Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem.

**I**n illo tempore: Dixit Iesus Phariseis: Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis. Mercenarius autem, & qui non est pastor, cuius non sunt oves propriae, videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit: & lupus rapit, & dispergit oves. Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est: & non pertinet ad eum de ovibus. Ego sum pastor bonus: & cognosco oves meas, & cognoscunt me meae. Sicut novit me pater, & ego agnosco patrem: & animam meam pono pro ovibus meis. Et alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili: & illas oportet me adducere, & vocem meam audient: & fiet unum ovile, & unus pastor. **C**redo.

**Offertorium.** Posuisti Domine in capite eius coronam de lapide

pretio-

pretioso: vitam petiit à te, & tribuisti ei, allelúja.

**Secreta.**

**S**acrificium exhibitum, quæsumus Dómine, benignus assúme: ut quod nómini tuo in solemnitate beati Adalbérti mártiris tui atque Pontíficis deférimus, nobis profit ad véniam. Per Dóminum nostrum Iesum Christum Filium tuum. Qui tecum vivit & regnat in unitate Spíritus sancti Deus: per omnia sæcula sæculórum. **R.** Amen.

**Commúnio.** **E**go sum pastor bonus, allelúja: & cognóscó oves meas, & cognóscunt me meæ, allelúja, allelúja.

**Postcommunio.**

**R**efécti, Dómine, munéribus sacris, súpplices te deprecámur: ut indulgéntiam tuam nobis intercésio beati Adalbérti mártiris tui atque Pontíficis semper implóret. Per Dóminum nostrum Iesum Christum.

F E S T A M A I I.

**In festo sancti Sigismundi Regis & martyris. Introitus.**

**P**rotexisti me Deus, à convéntu malignántiū, allelúja: à multitudíne operántium iniquitátem, allelúja, allelúja.

**Psal.** **E**xáudi Deus oratióne meam cum deprecor: à timóre inimíci éripe ánimam meam. **V.** Glória Patri.

**Oratio.**

**D**eus, qui beátum Sigismúndum regem, temporáli &

ætérno diadémate cum desideráta martyrii coróna honoráre dignátus es: tribue quæsumus: ut qui ejus mérita venerámur in terris, ipsíus intercessióne ab ómnibus protegámur advérsis. Per Dóminum nostrum.

**L**éctio libri Sapiéntiæ.

**S**tabunt justi in magna constantia advérsus eos, qui se angustiavérunt, & qui abstulérunt labóres eórum. Vidéntes turbabúntur timóre horríbili, & mirabúntur in subitatióne insperátæ salútis, dicéntes intra se, pœniténtiam agéntes, & præ angústia spíritus geméntes. Hi sunt, quos aliquándo habúimus in derísu, & in similitúdinem impropérii. Nos insensáti, vitam illórum æstimbámus insániam: & finem illórum sine honóre. Ecce, quómo-  
do computáti sunt inter filios Dei, & inter sanctos fors illórum est.

**A**llelúja, allelúja. **V.** Confitebúntur cæli mirabilia tua Dómine, étenim veritátem tuam in ecclésia sanctórum. Allelúja. **V.** Posuisti Dómine super caput ejus corónam de lapide pretioso. Allelúja.

**S**equéntia sancti Euangélii secúndum Ioánnem.

**I**n illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis: Ego sum vitis vera: & Pater meus agricola est. Omnem pálmitem, in me non feréntem fructú, tollet eum: & omnem qui fert fructum, purgábit eum, ut fructum plus áfferat. Iam vos mundi estis propter sermóné, qué locútus sum vobis. Manéte in

me:

me: & ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite: sic nec vos, nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites. Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere. Si quis in me non manserit: mittetur foras sicut palmes, & arefcet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet. Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint: quodcumque volueritis, petetis, & fiet vobis.

**C**redo.

**Offertorium.** Confitebuntur cæli mirabilia tua Domine, & veritatem tuam in ecclesia sanctorum, allelúja, allelúja.

**Secreta.**

**C**oncède, quæsumus Rex æternæ: ut hujus sacrificii munus oblatum, intervntu sancti Sigismundi regis & martyris, fragilitatem nostram ab omni adversitate semper protegat & munit. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum. Qui tecum vivit.

**Communio.** Laetabitur justus in Domino, & sperabit in eo: & laudabuntur omnes recti corde, allelúja, allelúja.

**Postcommunio.**

**P**urificent nos, quæsumus Rex æternæ, tua percepta sacramenta: & intercessiõne beati Sigismundi regis & martyris tui, ab omni malo expiãtos, tibi nos reddant acceptos. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum.

In festo sancti Floriani martyris.

Die  
iiij.

**Introitus.**



Rotexisti me Deus à conventu malignantiũ, allelúja: à multitudi-  
operantium iniquitatem, allelúja, allelúja.

Pf. 63.

**Psalms.** Exaudi Deus orationem meam cum deprecor: à timore inimici eripe animam meam. **V.** Gloria Patri. **Oratio.**

Ibid.

**D**eus, qui nos beati Floriani martyris tui solemnitate lætificas: concède propitius: ut cuius gloriõsum triumphum veneramur in terris, societatis ejus lætitiã adipisci mereamur in cælis. Per Dominum nostrum.

**Pro commemoratione sanctæ Monicæ viduæ.** **Oratio.**

**E**xaudi nos Deus salutaris noster: ut sicut de beatæ Monicæ festivitãte gaudemus, ita piã devotiõnis erudiãmur affectu. Per Dominum nostrum.

**Lectio libri Sapientiæ.**

**S**tabant iusti in magna constantia adversus eos, qui se angustiãverunt, & qui abstulerunt labores eõrum. Videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitãtione insperatæ salutis, dicentes intra se, poenitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes. Hi sunt, quos aliquando habuimus in derisum, & in similitudinem improperii. Nos insensati, vitam illõrum æstimabamus insaniam: & finem illõrum sine honore. Ecce, quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos fors illõrum est.

Sap. 5.

A lle-

**Pf. 88.** Allelúja, allelúja. *v.* Confitebúntur cæli mirabilia tua Dómine, éternim veritatem tuam in ecclésia sanctórum. Allelúja. *v.* Pretiósá in conspéctu Dómini, mors sanctórum ejus. Allelúja.

**S**equéntia sancti Euangélii secúndum Ioánnem.

**I**oan. 15.  
In illo témpore : Dixit Iesus discípulis suis : Ego sum vitis vera : & Pater meus agricola est. Omnem pálmitem, in me non ferentem fructú, tollet eum : & omnem qui fert fructum, purgábit eum, ut fructum plus áfferat. Iam vos mundi estis propter sermónē, quē locútus sum vobis. Manéte in me : & ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum à semetípso, nisi mánserit in vite : sic nec vos, nisi in me mánseritis. Ego sum vitis, vos pálmites : qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum : quia sine me nihil potéstis fácere. Si quis in me non mánserit : mittétur foras sicut palmes, & aréscet, & cólligent eum, & in ignem mittent, & ardet. Si mánseritis in me, & verba mea in vobis mánserint : quodcúmque voluéritis, petétis, & fiet vobis.

**C**redo.

**Pf. 88.** **Offertorium.** Confitebúntur cæli mirabilia tua Dómine, & veritatem tuam in ecclésia sanctórum, allelúja, allelúja. **Secreta.**

**H**anc oblatiônis hóstiã, quæsumus omnipotens Deus, beati Floriáni mártiris tui, digna comméndet oratio : qui sancto charitatis tuæ devíctus amóre, própriam sui córporis hóstiam in

odórem suavitatís tibi óbtulit vivam. Per Dóminum.

**Pro Sancta Monica vidua.**

**Secreta.**

**A**ccépta tibi sit, Dómine, sacratæ plebis oblátio, pro tuórum honóre sanctórum : quorum se méritis percepisse de tribulatione cognóscit auxiliú. Per Dóminum nostrum Iesum Christum Filium tuum.

**Communio.** **L**ætábitur justus in Dómino, & sperábit in eo : & laudabúntur omnes recti corde, allelúja, allelúja. **Pf. 63.**

**Postcommunio.**

**S**ancta nos, quæsumus Dómine, sacraménti cælestis participatio, & ab hóstium cálido tueántur incúrso : & sancto Floriáno intercedente, nobis remédia salútis cónferant sempitérna. Per Dóminum nostrum Iesum Christum.

**Pro sancta Monica vidua.**

**Postcommunio.**

**S**atiásti, Dómine, famíliam tuam munéribus sacris : ejus quæsumus semper interventióne nos réfove, cujus solémnia celebrámus. Per Dóminum nostrum Iesum Christum filium tuum. Qui tecum.

**In festo sancti Stanislai Episcopi & martyris, Regnique Poloniæ Patroni. Introitus.**



**P**rotexisti me Deus à conventu malignántiũ, allelúja : à multitudíne operántium iniquitátem, allelúja, allelúja. **Pf. 63.**

**Pfal.**

**Psal.** **E**xaudi Deus orationē meam cum deprecor: à timōre inimici eripe animam meam. **ꝯ.** Glória Patri.

**Oratio.**

**D**eus, pro cuius honore gloriosus Póntifex Stanisláus gládiis impiōrum occúbuit: præsta quæsumus: ut omnes qui ejus implórant auxiliū, petitiōnis suæ salutārem consequantur effectum. Per Dóminum nostrum Iesum Christum.

**L**ectio Epístolæ beati Pauli Apóstoli ad Hebræos.

**F**ratres: Omnis Póntifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum: ut offerat dona & sacrificia pro peccatis. Qui condolere possit iis qui ignorant & errant: quoniam & ipse circumdatus est infirmitate. Et propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam & pro semetipso offerre pro peccatis. Nec quisquam sumit sibi honorem: sed qui vocatur à Deo, tamquam Aaron. Sic & Christus non semetipsum clarificavit, ut Póntifex fieret: sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quemadmodum & in alio loco dicit: Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech.

**A**llelúja, allelúja. **ꝯ.** Surrexit pastor bonus, qui posuit animam suam pro ovibus suis, & pro suo grege mori dignatus est. Allelúja. **ꝯ.** Posuisti Dómine super caput ejus coronam de lapide pretioso. Allelúja.

**S**equentia sancti Euangélíi secundum Ioánnem.

**I**n illo tempore: Dixit Iesus Pharisæis: Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis. Mercenarius autem, & qui non est pastor, cuius non sunt oves propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit: & lupus rapit, & dispergit oves. Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est: & non pertinet ad eum de ovibus. Ego sum pastor bonus: & cognosco oves meas, & cognoscunt me meæ. Sicut novit me pater, & ego agnosco patrem: & animam meam pono pro ovibus meis. Et alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili: & illas oportet me adducere, & vocem meam audient: & fiet unum ovile, & unus pastor. **C**redo.

**Offertorium.** **P**osuisti Dómine in capite ejus coronam de lapide pretioso: vitam petiit à te, & tribuisti ei, allelúja.

**Secreta.**

**M**vnera tibi Dómine dicata sanctifica: & intercedente beato Stanisláo martyre tuo atque Pontífice, per eadem nos placatus intende. Per Dóminum.

**Communio.** **E**go sum pastor bonus, allelúja: & cognosco oves meas, & cognoscunt me meæ, allelúja, allelúja.

**Postcommunio.**

**H**æc nos commúnio Dómine purget à crimine: & intercedente beato Stanisláo martyre tuo atque Pontífice, cælestis re-

médii fáciat esse consórtes. Per Dóminum.

F E S T A I V N I I.

Die  
iij.

In festo S. Erasmi Episcopi & martyris, tempore Paschali.

Introitus.

Pf. 65.



Rotexísti me Deus à convéntu malignántiū, allelúja : à multitudíne operántium iniquitátem, allelúja, allelúja.

Ibid.

**Psalms.** Exáudi Deus oratióem meam cùm deprecor : à timóre inimíci éripe ánimam meam. *ŷ.* Glória Patri.

Oratio.

**D**eus, cujus virtúte beátus Erásmus martyr & Póntifex, multa tormentórum génera superávit : fac nos quæsumus ejus intercessióne, univérſas insídias inimicórum nostrórum visibílium & invisibílium cum gáudio superáre, & in Christo bonis opéribus abundáre. Per Dóminum.

**Epistola.** Stabunt justí. *de Comuni Martt. tempore Paschali.*

Pf. 88.

Allelúja, allelúja. *ŷ.* Confitebúntur cæli mirabília tua Dómine, étenim veritátem tuam in ecclésia sanctórum. Allelúja. *ŷ.* Posuísti, Dómine, super caput ejus corónam de lápide pretiósó. Allelúja.

Pf. 20.

**Euangelium.** Ego sum vitis vera : & pater meus agricola est. *in Comuni Martyrum tempore Paschali.*

Pf. 88.

**Offertorium.** Confitebúntur cæli mirabília tua Dómine, & veritátem tuam in ecclésia sanctórum, allelúja, allelúja.

Secreta.

**M**Vnera tibi Dómine dicáta sanctífica : & intercedénte beáto Erásmo mártire tuo atque Pontífice, per éadem nos placátus inténde. Per Dóminum nostrum.

**Communio.** Lætábitur justus in Dómino, & sperábit in eo : & laudabúntur omnes recti corde, allelúja, allelúja.

Postcommunio.

**R**efécti participatióne múnaris sacri, quæsumus Dómine Deus noster : ut cujus exéquimur cultum, intercedénte beáto Erásmo mártire tuo atque Pontífice, sentiámus effectum. Per Dñm.

In festo sancti Erasmi Episcopi & mart. post Pentec. Introitus.

Die  
iij.



Acerdótes Dei benedicite Dóminum : sancti & húmiles corde laudáte Deum. **Psal.** Benedicite ómnia ópera

Dan.  
3.

Dómini Dómino : laudáte & superexaltáte eum in sæcula. *ŷ.* Glória Patri.

Oratio.

**D**eus, cujus virtúte beátus Erásmus martyr & Póntifex, multa tormentórum génera superávit : fac nos, quæsumus, ejus intercessióne, univérſas insídias inimicórum nostrórum visibílium & invisibílium cum gáudio superáre, & in Christo bonis opéribus abundáre. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

**F**Ratres : Benedíctus Deus, & Pater Dómini nostri Iesu

2. Cor.  
1.

Christi:

Christi : Pater misericordiarum , & Deus totius consolationis : qui consolatur nos in omni tribulatione nostra : ut possimus & ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt, per exhortationem qua exhortamur & ipsi a Deo. Quonia sicut abundant passiones Christi in nobis : ita & per Christum abundat consolatio nostra. Sive autem tribulamur, pro vestra exhortatione & salute : sive consolamur, pro vestra consolatione : sive exhortamur, pro vestra exhortatione & salute : quae operatur tolerantiam earumdem passionum, quas & nos patimur : ut spes nostra firma sit pro vobis : scientes, quoniam sicut socii passionum estis, sic eritis & consolationis : in Christo Iesu Domino nostro.

**Graduale.** **G**loria & honore coronasti eum. **Ps.** Et constituisti eum super opera manuum tuarum, Domine. **Alleluja, alleluja.** **Ps.** Hic est sacerdos, quem coronavit Dominus. **Alleluja.**

**S**equentia sancti Evangelii secundum Matthaeum.

**I**n illo tempore : Dixit Iesus discipulis suis. Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam. Qui autem perdidit animam suam propter me, inveniet eam. Quid enim prodest homini, si universum mundum lucratur, animae vero suae detrimentum patiatur ? Aut quam dabit homo

commutationem pro anima sua ? Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum angelis suis : & tunc reddet unicuique secundum opera ejus.

**Offertorium.** Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum : manus enim mea auxiliabitur ei, & brachium meum confortabit eum.

*Psal. 88.*

**Secreta.**

**M**vnera tibi Domine dicata sanctifica : & intercedente beato Erasmo martyre tuo atque Pontifice, per eadem nos placatus intende. Per Dominum.

**Communio.** **P**osuísti Domine in capite ejus coronam de lapide pretioso.

*Ps. 20.*

**Postcommunio.**

**R**efecti participatione muneris sacri, quaesumus Domine Deus noster : ut, cujus exequimur cultum, intercedente beato Erasmo martyre tuo atque Pontifice, sentiamus effectum. Per Dñm.

F E S T A I V L I I.

In festo sanctae Margaritae virginis & martyris. **Missae** **M**e expectaverunt. **de Comuni Virginum & Martt.**

*Die xiiij.*

In festo Divisionis sanctorum Apostolorum. **Introitus.**

*Die xv.*



**M**ihi autem nimis honorati sunt amici tui Deus : nimis confortatus est principatus eorum. **Psalmus.** **D**omine probasti me, & cognovisti me : tu cognovisti sessionem meam, & resurrectionem meam. **Ps.** Gloria Patri.

*Psal. 138.*

*Ibid.*

## Oratio.

**D**Eus, qui Ecclésiā tuam distributam per orbem terrarum, sanctorum Apostolorum prædicatione fundasti: concède propitius: ut quorum hodierna die sub una celebritate recolimus insignia, eorum in cunctis necessitatibus nostris experiāmur suffragia. Per Dominum nostrum Iesum Christum.

Lectio Epistolæ beati Pauli  
Apostoli ad Ephesios.

Eph.  
2.

**F**Ratres: Iam non estis hospites & advenæ: sed estis cives sanctorum, & domestici Dei, superædificati supra fundamentum Apostolorum & prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu, in quo omnis ædificatio constructa, crescit in templum sanctum in Domino. In quo & vos coædificamini in habitaculum Dei, in Spiritu sancto.

Pf. 44.

**Graduale.** Constitues eos principes super omnem terram: memores erunt nominis tui Domine.

Ioan.  
15.

✠. Pro patribus tuis nati sunt tibi filii: propterea populi confitebuntur tibi. Alleluya, alleluya. ✠. Ego vos elegeri de mundo, ut eatis, & fructum afferatis: & fructus vester maneat. Alleluya.

Sequentia sancti Evangelii  
secundum Lucam.

Luce  
9.

**I**N illo tempore: Convocatis Iesus duodecim Apostolis, dedit illis virtutem & potestatem super omnia demonia: & ut languores curarent. Et misit illos predicare regnum Dei, & sanare infirmos. Et ait ad illos: Nihil tu-

leritis in via: neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecuniam, neque duas tunicas habeatis. Et in quamcumque domum intraveritis, ibi manete, & inde ne exeatis. Et quicumque non receperint vos: exeuntes de civitate illa, etiam pulverem pedum vestrorum excutite in testimonium supra illos. Egressi autem circuibant per castella evangelizantes, & curantes ubique.

Credo.

**Offertorium.** In omnem terram exiit sonus eorum: & in fines orbis terræ verba eorum.

Pf. 18.

Secreta.

**G**Loriam, Domine, sanctorum Apostolorum tuorum perpetuam in eorum divisione recensentes, quaesumus: ut eam, sacris mysteriis expiati, dignius celebremus. Per Dominum nostrum Iesum Christum.

Præfatio de Apostolis.

**Communio.** Vos, qui secuti estis me, sedebitis super sedes, iudicantes duodecim tribus Israël.

Mat.  
19.

Postcommunio.

**P**erceptis Domine sacramentis, suppliciter exoramus: ut intercedentibus beatis Apostolis tuis, quæ pro illorum veneranda gerimus commemoratione, nobis proficiant ad medelam. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum.

In festo S. CHRISTINÆ Virginis & Martyris. Missa. Me expectaverunt. de Comuni Virginum & Martyrum.

Die  
xxiii.

Et



Et fit commem. Vigiliæ sancti  
IACOB I, nisi sit Patrona vel Ti-  
tularis Ecclesiæ.

FESTA AVGVSTI.

In festo sancti Hyacinthi Confes-  
soris. Introitus.



**O**S iusti meditabitur sa-  
piëntiam, & lingua ejus  
loquëtur iudiciũ: lex  
Dei ejus in corde ip-  
sius. **Pfal.** Noli æmulã-  
ri in malignãntibus: neque zelãve-  
ris faciëntes iniquitãtem. **ꝯ.** Glõria.

Oratio.

**A**D esto Dõmine, supplicatiõ-  
nibus nostris, quas in beãti  
Hyacinthi confessoris tui solem-  
nitãte deferimus: ut qui nostræ  
justitiæ fiduciã non habẽmus,  
ejus qui tibi placuit, precibus ad-  
juvẽmur. Per Dõminum.

vel Oratio.

**D**Eus, qui beãtum Hyacin-  
thum Confessõrem tuum, in  
diversis natiõnum põpulis õpe-  
rum sanctitãte, & miraculõrum  
glõria fecisti conspicuum: da no-  
bis, ut suis in melius reformẽmur  
exẽmptis; & in adversis, prote-  
gãmur auxiliis. Per Dõminum.

Secunda Oratio, de Octava  
Assumptionis B. Mariæ. Famulõ-  
rum tuõrum.

Tertia, de Octava S. Laurentii.  
Oratio. Da nobis.

Lectio Epistolæ beãti Pauli  
Apõstoli ad Corinthios.

**F**Ratres, Spectãculum facti su-  
mus mundo, & angelis, &  
hõminibus. Nos stulti propter

Christum: vos autem prudẽtes  
in Christo. Nos infirmi: vos au-  
tem fortes. Vos nõbiles: nos au-  
tem ignõbiles. Usque in hanc ho-  
ram & esurimus, & sitimus, &  
nudi sumus, & colaphis cædi-  
mur, & instãbiles sumus, & labo-  
ramus operãntes manibus no-  
stris. Maledicimur: & benedici-  
mus. Persecutiõnem patimur: &  
sustinẽmus. Blasphemãmur: &  
obsecramus. Tamquam purga-  
mẽnta hujus mundi facti sumus,  
õmnium peripsẽma usque adhuc.  
Non ut confundam vos, hæc scri-  
bo: sed ut filios meos charissimos  
mõneo: in Christo Iesu Dõmino  
nostro.

**Graduale.** Iustus ut palma florẽ-  
bit: sicut cedrus Libani, multipli-  
cabitur in domo Dõmini. **ꝯ.** Ad an-  
nuntiãndum manẽ misericordiam  
tuam, & veritãtem tuam per no-  
ctem. **A**llelõja, allelõja. **ꝯ.** Beãtus  
vir, qui suffert tentatiõnem, quõ-  
niam cum probãtus fuerit, accipiet  
corõnam vitæ. Allelõja.

Sequẽntia sancti Euangeli  
secundum Lucam.

**I**N illo tempore: Dixit Iesus disci-  
pulis suis: Sint lumbi vestri præ-  
cincti, & lucernæ ardentes in ma-  
nibus vestris. Et vos similes homi-  
nibus expectãntibus dõminum  
suum, quando revertãtur à nuptiis:  
ut cum venerit, & pulsãverit, con-  
festim apèriant ei. Beãti servi illi,  
quos cum venerit dõminus, invẽ-  
nerit vigilãntes: amen dico vobis,  
quod præcinget se, & faciet illos  
discumbere, & trãnsiens ministrã-  
bit illis. Et si venerit in secunda

Pf. 91.

Iacobi  
1.

Lucæ  
12.

Die  
xvi.

Pf. 36.

Ibid.

1 Cor.  
4.

vigília, & si in tertia vigília vénerit, & ita invenerit, beati sunt servi illi. Hoc autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias, qua hora veniret: vigilaret utique, & non sineret perfodi domum suam. Et vos estote parati: quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet.

**Credo.**

*Pf. 88.*

**Offertorium.** Veritas mea, & misericordia mea cum ipso: & in nomine meo exaltabitur cornu ejus.

**Secreta.**

**P**ræsta nobis, quæsumus omnipotens Deus: ut nostræ humilitatis oblatio, & pro tuorum tibi grata sit honore sanctorum, & nos corpore pariter & mente purificet. Per Dominum nostrum Iesum Christum.

*Mat. 24.*

**Communio.** Beatus servus, quem cum venerit dominus, invenerit vigilantem: amen dico vobis, super omnia bona sua constituet eum.

**Postcommunio.**

**Q**uæsumus omnipotens Deus: ut qui cælestia alimenta percipimus, intercedente beato Hyacintho confessore tuo, per hæc contra omnia adversa muniamur. Per Dominum nostrum.

*Die xix.*

**In festo S. BENIGNÆ Virginis & Martyris. Introitus.**

*Pfal. 118.*



*Ibid.*

Oquæbar de testimoniis tuis in conspectu Regum, & non confundebam: & meditabar in mandatis tuis, quæ di-

lexi nimis. **Psal.** Beati immaculati in via: qui ambulant in lege Domini. **Ps.** Gloria Patri.

**Oratio.**

**D**eus, qui inter cetera potentia tuæ miracula, etiam in sexu fragili victoriam martyrii contulisti: concede propitius: ut qui beatæ Benignæ virginis & martyris tuæ natalitia colimus: per ejus ad te exempla gradiamur. Per Dominum nostrum Iesum Christum.

**Epistola.** Confitebor tibi, Dñe rex. **De Communi Virg. & Martyris.**

**Graduale.** Aduvabit eam Deus vultu suo: Deus in medio ejus, non commovebitur. **Ps.** Fluminis impetus lætificat civitatem Dei: sanctificavit tabernaculum suum Altissimus. **Allelúja, allelúja.** **Ps.** Adducuntur Regi virgines post eam, proximæ ejus afferentur tibi in lætitia. **Allelúja.**

**Euangelium.** Simile erit regnū cælōrū decem virginibus. **de Communi Virginis & Martyris.**

**Offertoriū.** Diffusa est grātia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in ætēnum, & in sæculum sæculi.

**Secreta.**

**S**uscipe Domine mūnera, quæ in beatæ Benignæ virginis & martyris tuæ solemnitate deferimus: cujus nos confidimus patrocinio liberari. Per Dominum.

**Communio.** Quinq; prudentes virgines acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus: media autem nocte clamor factus est, ecce sponsus venit, exite obviam Christo Domino. **Postcommunio.**

**A**vxiēntur nobis Domine sumpta mystēria: & intercedente beata Benigna virgine &

marty-

martyre tua, sempiterna faciant protectione gaudere. Per Dominum nostrum.

In festo S. Sabinæ martyris.

Introitus.



E expectaverunt peccatores, ut perderent me: testimonia tua Domine intellexi: omnis consummationis vidi finem: latum mandatum tuum nimis.

**Pfal.** Beati immaculati in via: qui ambulat in lege Domini. *Ps.* Gloria.

Oratio.

**D**eus, qui inter cetera potentia tua miracula, etiam in sexu fragili victoria martyrii contulisti: concede propitius: ut qui beatae Sabinæ martyris tuæ natalitia colimus, per ejus ad te exempla gradiamur. Per Dominum.

**Epistola.** Confitebor tibi Domine rex. *ut in Communi Virginis & Mart.*

**Graduale.** Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem. *Ps.* Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ.

**A**lleluja, alleluja. *Ps.* Specie tua, & pulchritudine tua: intende, prospere procede, & regna. Alleluja.

**Euangelium.** Simile est regnum celorum thesauro abscondito in agro.

*de Communi Virginis & Mart.*

**Offertorium.** Diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum, & in sæculum sæculi, alleluja. **Secreta.**

**H**ostias tibi Domine, beatae Sabinæ martyris tuæ dicatas meritis, benignus assume: & ad perpetuum nobis tribue provenire subsidium. Per Dominum.

**Communio.** Principes persecuti sunt me gratis, & a verbis tuis formidavit cor meum: lætabor ego super eloquia tua, quasi qui invenit spolia multa.

*Pfal.*  
*118.*

Postcommunio.

**D**ivini muneris largitate satiatum, quæsumus Domine Deus noster: ut intercedente beata Sabinæ martyre tua, in ejus semper participatione vivamus. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum.

FESTA SEPTEMBRIS.

In festo sancti Dalmatii martyris. Introitus.

*Die*  
*x.*



**I**n virtute tua, Domine, lætabitur justus: & super salutare tuum exultabit vehementer: desiderium animæ ejus tribuisti ei.

*Pfal.*  
*20.*

**Pfal.** Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. *Ps.* Gloria Patri.

*Ibid.*

Oratio.

**O**mnipotens sempiternæ Deus, fidelium tuorum indeficiens conservator, qui gloriosi martyris tui Dalmatii clarificare dignatus es solemnitatem, exaudi preces supplicantis Ecclesiæ, & præsta: ut quæ devotè expetit, eo suffragante consequi mereatur. Per Dominum nostrum.

**Epistola.** Memor esto Dominum Iesum Christum. *de Communi unius Martyris.*

**Graduale.** Gloria & honore coronasti eum. *Ps.* Et constituisti eum

*Pfal.*  
*20.*

Ioan.  
8.

super ópera mánuum tuárum, Dómine. **A**llelúja, allelúja. **V.** Qui séquitur me, non ámbulat in ténebris: sed habébit lumen vitæ æternæ. Allelúja.

**Euangelium.** Si quis vult veníre post me. **de Comuni unius Martyris Pontificis.**

Pf. 20.

**Offertorium.** In virtúte tua Dómine lætábitur justus: & super salutáre tuum exultábit vehementer: desidérium ánimæ ejus tribuísti ei.

**Secreta.**

**M**Vnéribus nostris, quæsumus Dómine, precibúsque susceptis: & cæléstibus nos munda mysteriis, & cleméter exáudi. Per Dóminum nostrum.

Matt.  
16.

**Communio.** Qui vult veníre post me, ábneget semetípsum: & tollat crucem suam, & sequátur me.

**Postcommunio.**

**R**Efecti participatióne muneris sacri, quæsumus Dómine Deus noster: ut cujus exequimur cultum, intercedente beáto Dalmátio mártire tuo, sentiámus effectum. Per Dóminum..

Die  
xxiiij.

In festo sancti TYRSI martyris.

**Introitus.**

Pf. 63.



Ibid.

**L**ætábitur justus in Dómino, & sperábit in eo: & laudabúntur omnes recti corde. **Psal.** Exáudi Deus oratióne meam cum déprecor: à timóre inimíci éripe ánimam meam. **V.** Glória Patri.

**Oratio.**

**O**Mnípotés sempitérnè Deus, qui beátum Tyrsum pro

confessióne nóminis tui fortem in certámine fecísti, & eum per martyrii palmam sanctis tuis in cælis sociásti: præsta quæsumus: ut qui martyrii sui diem ánnua devotióne recólimus, ipsíus intercessióne in confessióne fidei simus stábiles, & in bonis opéribus efficáces. Per Dóminum.

**Epistola.** Omne gáudium existimáte, fratres mei. **de Comuni unius Martyris.**

**Graduale.** Iustus cum ceciderit non collidétur: quia Dóminus supponit manum suam. **V.** Tota die miserétur, & cómmodat: & semen ejus in benedictióne erit. **A**llelúja, allelúja. **V.** Posuísti Dómine super caput ejus corónam de lápide pretiósó. Allelúja.

**Euangelium.** Nihil opértū, quod non revelétur. **de Comuni unius Martyris.**

**Offertoriū.** Glória & honóre coronásti eum: & constituísti eum super ópera mánuum tuárum Dñe.

**Secreta.**

**A**Ccepta sit in conspéctu tuo, Dómine, nostra devótio: & ejus nobis fiat supplicatióne salutáris, pro cujus solemnitate defertur. Per Dóminum.

**Communio.** Qui mihi ministrat, me sequátur: & ubi sum ego, illic & míster meus erit.

**Postcommunio.**

**D**A, quæsumus Dómine Deus noster: ut, sicut tuórum commemoratióne sanctórum, temporáli gratulamur officio; ita perpétuo lætémur aspéctu. Per Dóminum nostrum.

In

In festo Translationis S. STANISLAI Episcopi & martyris.

Introitus.



Tátuit ei Dóminus testaméntum pacis, & príncipem fecit eum: ut sit illi sacerdotii dignitas in æternũ. **Psal-**

**mus.** Meménto Dómine David: & omnis mansuetúdinis ejus. **Gló-**  
**ria Patri.** **Oratio.**

**D**Eus, pro cuius honóre gloriósus Póntifex Stanisláus gládiis impiórum occúbuit: præsta quæsumus: ut omnes qui ejus implórant auxiliúm, petitiónis suæ salutárem consequántur effectum. Per Dóminum nostrum Iesum Christum.

**L**éctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos.

**F**Ratres: Omnis Póntifex ex homínibus assumptus, pro homínibus constitúitur in iis quæ sunt ad Deum: ut offerat dona & sacrificia pro peccátis. Qui condolère possit iis qui ignórant & errant: quóniam & ipse circumdatus est infirmitáte. Et propter eà debet, quemádmódu pro pópulo, ita étiam & pro semetípso offerre pro peccátis. Nec quisquam sumit sibi honórem: sed qui vocátur à Deo, tamquam Aaron. Sic & Christus non semetípsum clarificávit, ut Póntifex fieret: sed qui locútus est ad eum: Fílius meus es tu, ego hódie genui te. Quemádmódu & in álio loco dicit: Tu es sacerdos in æternum secúndum ordinem Melchisedech.

**Graduale.** Ecce sacerdos magnus, qui in diébus suis plácuít Deo. **Non** est invéntus símilis illi, qui conserváret legem Excélsi. **Allelúja**, allelúja. **Ego** sum pastor bonus: & cognóscó oves meas: & cognóscunt me meæ. **Allelúja.**

**S**equéntia sancti Euangélij secúndum Ioánnem.

**I**N illo témpore: Dixit Iesus Pharisæis: Ego sum pastor bonus. Bonus pastor ánimam suam dat pro óvibus suis. Mercenárius autem, & qui non est pastor, cuius non sunt oves própriæ, videt lupum veniéntem, & dimíttit oves, & fugit: & lupus rapit, & dispérgit oves. Mercenárius autem fugit, quia mercenárius est: & non pértinet ad eum de óvibus. Ego sum pastor bonus: & cognóscó oves meas, & cognóscunt me meæ. Sicut novit me pater, & ego agnóscó patrem: & ánimam meam pono pro óvibus meis. Et álias oves hábeo, quæ non sunt ex hoc ovíli: & illas opórtet me addúcere, & vocem meam audient: & fiet unum ovíle, & unus pastor. **Credo.**

**Offertorium.** Posuísti Dómine in cápite ejus corónam de lápide pretióso: vitam pétiit à te, & tribuísti ei, allelúja. **Secreta.**

**M**Vnera tibi Dómine dicáta sanctífica: & intercedénte beáto Stanisláo mártire tuo atque Pontífice, per éadem nos placátus inténde. Per Dóminum.

**Communio.** Ego sum pastor bonus, & cognóscó oves meas, & cognóscunt me meæ.

Post-

Eccli. 44.

Ioan. 10.

Ioan. 10.

Pf. 20.

Ioan. 10.

Die. xvij.

Eccli. 44.

Psal. 131.

Hebr. 5.

## Postcommunio.

**H**Æc nos commúnio Dómine purget à crimine : & intercedente beáto Stanisláo mártire tuo atque Pontífice , cæléstis remédii fáciat esse consórtes. Per Dóminum nostrum.

Die  
xxviiiIn festo sancti VENCESLAI  
martyris. Introitus.

Psal.



Ibid.

**L**ætábitur iustus in Dómino, & sperábit in eo : & laudabúntur omnes recti corde. **Psal.** Exáudi Deus oratiómem meam cum deprecor : à timóre inimíci éripe ánimam meam. **V.** Glória Patri.

## Oratio.

**D**Eus, qui beáti Venceslái nobilitátem in meliôrem mutásti dignitátem, & eum per mártirii palmam ad cæléstem perduxísti glóriam : ejus précibus nos, quæsumus, ab omni adversitáte libera, & æternæ beatitúdinis concède pérfrui glória. Per Dóminum nostrum.

**L**ectio Epístolæ beáti Petri Apóstoli.

1 Pet.

4.

**C**haríssimi : Communicántes Christi passiónibus, gaudete : ut & in revelatióne glóriæ ejus gaudeátis exultántes. Si exprobrámini in nómine Christi, beáti éritis : quóniam quod est honóris, glóriæ, & virtútis Dei, & qui est ejus spíritus, super vos requiescit. Nemo autem vestrúm patiátur ut homicída, aut fur, aut malédicus, aut alienórum appetitor. Si autem ut Christiánus :

non erubéscat, gloríficet autem Deum in isto nómine. Quóniam tempus est, ut incípiat iudícium à domo Dei. Si autem primùm à nobis : quis finis eórum qui non credunt Dei euangélio? Et si iustus vix salvábitur : impius & peccátor ubi parébunt? Itaque & hi qui patiúntur secúndum voluntátem Dei : fidéli creatóri comméndent ánimas suas in benefáctis.

**Graduale.** Iustus cum ceciderit, non collidétur : quia Dóminus supponit manum suam. **V.** Tota die miserétur, & commodat : & semen ejus in benedictiône erit. **A**llelúja, allelúja. **V.** Qui séquitur me, non ambulat in ténebris : sed habébit lumen vitæ æternæ. Allelúja.

**S**equéntia sancti Euangélii secúndum Matthæum.

**I**n illo témpore : Dixit Iesus discípulis suis : Si quis vult veníre post me, abneget semetípsum, & tollat crucem suam, & sequátur me. Qui enim volúerit ánimam suam salvam fácere, perdet eam. Qui autem perdíderit ánimam suam propter me, invéniet eam. Quid enim prodest hómini, si univérsum mundum lucrétur, ánimæ verò suæ detriméntum patiátur? Aut quam dabit homo commutatiómem pro ánimá sua? Filius enim hóminis ventúrus est in glória Patris sui cum ángelis suis : & tunc reddet unicuîque secúndum ópera ejus. **C**redo.

**Offertoriũ.** **P**osuísti Dómine in cápite ejus corónam de lápide pretiósó : vitam pétiit à te, & tribuísti ei, allelúja.

Secreta.

**Secreta.**

**A**ccépta sit in conspéctu tuo, Dómine, nostra devótio: & ejus nobis fiat supplicatióne salutaris, pro cujus solemnitate defertur. Per Dóminum nostrum.

**Communio.** Qui mihi ministrat, me sequatur: & ubi sum ego, illic & minister meus erit.

**Postcommunio.**

**R**efécti participatióne muneris sacri, quæsumus Dómine Deus noster: ut, cujus exequimur cultum, intercedente beato Venessáo mártire tuo, sentiámus effectum. Per Dóminum.

FESTA OCTOBRIS.

In festo sanctorum GEREONIS & sociorum martyrum.

**Introitus.**



Lamaverunt justi, & Dñs exaudivit eos: & ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos. **Psal.** Benedicam

Dóminum in omni tempore: semper laus ejus in ore meo. **V.** Glória Patri.

**Oratio.**

**D**eus, qui hunc diem mártirum tuorum Gereonis sociorumque ejus passióne consecrasti: præsta quæsumus: ut eorum suffragia apud te sentiámus in cælis, quorum híc solémnia pio amore venerámur in terris. Per Dóminum nostrum.

**L**ectio libri Apocalypsis beati Ioannis Apóstoli.

**I**n diébus illis: Respondit unus de senióribus, & dixit mihi: Hi,

qui amícti sunt stolis albis, qui sunt, & unde venerunt? Et dixi illi: Dómine mi, tu scis. Et dixit mihi: Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna: & laverunt stolas suas, & dealbaverunt eas in sanguine Agni. Ideò sunt ante thronum Dei, & sérviant ei die ac nocte in templo ejus: & qui sedet in throno, habitabit super illos. Non esúrient neque sítient amplius: nec cadet super illos sol, neque ululus æstus. Quóniam Agnus, qui in médio throni est, reget illos: & dedúcet eos ad vitæ fontes aquarum: & abstérget Deus omnem lacrymam ab óculis eorum.

**Graduale.** **V**indica Dómine, sanguinem sanctorum tuorum, qui effusus est. **V.** Posuerunt mortalia servorum tuorum Dómine, escas volatilibus cæli: carnes sanctorum tuorum bestiis terræ. **A**llelúja, allelúja. **V.** Iusti epulentur, & exultent in conspéctu Dei: & delectentur in lætitia. Allelúja.

**S**equéntia sancti Euangélii secúndum Lucam.

**I**n illo tempore: Descendens Iesus de monte, stetit in loco campéstri, & turba discipulorum ejus, & multitúdo copiôsa plebis ab omni Iudæa & Ierúsalem, & marítima, & Tyri & Sidónis: qui vénerant ut audírent eum, & sanarentur à languóribus suis. Et qui vexabantur à spirítibus imúndis, curabantur. Et omnis turba quærébat eum tângere: quia virtus de illo exíbat, & sanábat omnes. Et ipse elevátis óculis in discípulos suos, dicébat: Beati

páupe-

Pf. 78.

Pf. 67.

Luca 6.

1027.

11.

Die

Pf. 33.

ibid.

Apoc. 7.

páuperes : quia vestrū est regnum Dei. Beáti qui nunc esurítis: quia saturabímmini. Beáti qui nunc fle-tis : quia ridébitis. Beáti éritis cūm vos óderint hómines , & cūm separáverint vos , & expro-bráverint , & ejécerint nomen vestrum tamquam malum , pro-pter filium hóminis. Gaudéte in illa die , & exultáte : ecce enim merces vestra, multa est in cælo.

*Pfal.*  
147.

**Offertorium.** **E**xultábunt sancti in glória , lætabúntur in cubílibus suis : exaltatiónes Dei in fáucibus eórum, allelúja.

**Secreta.**

**M**Vnera tibi Dómine, nostræ devotiõnis offérimus : quæ & pro tuórum tibi grata sint honôre justórum; & nobis salutária, te miseránte, reddántur. Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum. Qui tecum vivit & regnat in unitáte.

*Pfal.*  
78.

**Communio.** **P**osuérunt mortá- lia servórum tuórum Dñe, escas vo- latílibus cæli : carnes sanctórum tuórum béstiis terræ : secúndum magnitúdinem bráchii tui pósside filios morte punitórum.

**Postcommunio.**

**D**Eus , qui nos & cælestibus páscere sacraméntis, & san- ctórum mártyrum tuórum Ge- reónis sociorúmque ejus non dé- sinis fovére suffrágiis: præsta quæ- sumus : ut quod illis ad glóriam contulisti, ad nostræ proffit fragi- litátis auxílium. Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum. Qui tecum vivit & regnat in unitáte.

In festo sanctæ HEDVIGIS  
viduæ. Introitus.

Die  
xv.



Audeámus omnes in Dómino , diem festum celebrántes sub honô- re beátæ Hedvigis: de- cujus solemnitate gau- dent Angeli, & colláudant filium Dei. **Pfal.** **E**ructávit cor meum ver- bum bonum : dico ego ópera mea regi. **ꝫ.** Glória Patri.

*Pfal.*  
44.

**Oratio.**

**D**Eus grátia dator & glória, tuæ nobis propítius sinum pietátis áperi , & præsta : ut qui manéntem civitátem híc non ha- bémus , ad futúram quam quæri- mus, beátæ Hedvigis interveniénte suffrágio, perducámur. Per Dóminum nostrum.

**L**éctio libri Sapiéntiæ.

**M**Vlierem fortem quis invé- niet ? Procul, & de últimis finibus prétium ejus. Confidit in ea cor viri sui: & spóliis non indi- gēbit. Reddet ei bonum, & non malum, ómnibus diébus vitæ suæ. Quæsívit lanã & linum : & ope- ráta est consílio mánuum suárum. Facta est quasi navis institóris, de longè portans pané suum. Et de nocte surrexit , dedítque prædam domésticis suis, & cibária ancíllis suis. Considerávit agrum, & emit eum : de fructu mánuum suárum plantávit víneam. Accínxit forti- túdine lumbos suos : & roborávit bráchium suum. Gustávit & vi- dit , quia bona est negotiatio ejus : non extinguetur in nocte lucérna ejus. Manum suam mi- fit ad fórtia : & dígiti ejus apprehé-

*Prov.*  
31.

hendé-



hendérunt fufum. Manum suam apéruit inopi : & palmas suas extendit ad páuperem. Non timébit dómui suæ à frigóribus nivis : omnes enim doméstici ejus vestiti sunt duplicibus. Stragulâtam vestem fecit sibi : byssus & púr-pura indumentum ejus. Nóbilis in portis vir ejus , quando séderit cum senatóribus terræ. Síndonem fecit & véndidit, & cingulum trádedit Chananæo. Fortitúdo & decor indumentum ejus , & ridébit in die novíssimo. Os suum apéruit sapiéntiæ: & lex cleméntiæ in lingua ejus. Considerâvit sémitas domus suæ: & panem otíosa non comédit. Surrexérunt filii ejus , & beatíssimam prædicavérunt : vir ejus , & laudâvit eam. Multæ filiæ congregavérunt divítias : tu supergréssa es univérfas. Fallax grátia , & vana est pulchritúdo : múlier timens Dóminum, ipsa laudábitur. Date ei de fructu mánuum suârum: & laudent eam in portis ópera ejus.

**Graduale.** Diffûsa est grátia in lábiis tuis , proptereâ benedixit te Deus in ætérnum. *v.* Propter veritâtem , & mansuetúdinem , & justítiam: & dedúcet te mirabíliter dextera tua. **A**llelúja, allelúja. *v.* Spécie tua, & pulchritúde tua: inténde, prósperè procède , & regna. allelúja.

**S**equéntia sancti Euangélii secúndum Matthæum.

**I**n illo témpore : Dixit Iesus discípulis suis parábolam hanc : Simile est regnum cælórum thesáuro abscondito in agro : quem

qui ínvenit homo , abscondit , & præ gáudio illíus vadit , & vendit univérfa quæ habet, & emit agrú illum. Iterùm , símile est regnum cælórum hómini negotiatóri, quærénti bonas margarítas. Invénta auté una pretiósa margaríta, ábiit, & véndidit ómnia quæ hábuit, & emit eam. Iterùm, símile est regnú cælórum sagénæ missæ in mare, & ex omni génere píscium congregánti. Quam , cùm impléta esset, educéntes, & secus littus sedéntes , elegérunt bonos in vasa, malos autem foras misérunt. Sic erit in consummatiône sæculi. Exíbunt Angeli, & separábunt malos de médio justórum, & mittent eos in camínium ignis. Ibi erit fletus, & stridor déntiũ. Intellexístis hæc ómnia? dicunt ei: Etiam. Ait illis: Ideò , omnis scriba doctus in regno cælórum , símilis est hómini patrifámiliæ , qui profert de thesáuro suo nova & vétera. **C**redo.

**Offertorium.** Filie regum in honóre tuo, ástitit regína à dextris tuis in vestítu deauráto, circúmdata varietâte.

**Secreta.**

**A**ccépta tibi sit, Dómine, factætæ plebis oblátio, pro tuórum honóre sanctórum, quorum se méritis de tribulatióne percépisse cognóscit auxiliium. Per Dóminum nostrum.

**Communio.** Diffûsa est grátia in lábiis tuis , proptereâ benedixit te Deus in ætérnum.

**Postcommunio.**

**S**vmpta , quæsumus omnípotens Deus, hóstia salutâris, ab advérsis nos ómnibus tueâtur in-

cursibus : & post hujus labores exilii , beatae Hedwigis intervenientibus meritis, ducat ad requiem opulentam. Per Dominum.

Die  
xx.

In festo Translationis S. ADALBERTI Episcopi & martyris. Introitus.

Eccl.  
45.

Tatuit ei Dominus testamentum pacis, & principem fecit eum, ut sit illi sacerdotii dignitas in aeternum. Psal. Me-

Psal.  
131.

mento Domine David : & omnis mansuetudinis ejus. V. Gloria Patri.

## Oratio.

**T**vam nobis indulgentiam, quaesumus Domine, beatus Adalbertus Episcopus & martyr imploret : ut & delicta nobis clementer ignoscas, & beneficia desiderata concedas. Per Dominum nostrum.

Lectio Epistolae beati Pauli Apostoli ad Corinthios.

2 Cor.  
I.

**F**ratres : Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi : Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis : qui consolatur nos in omni tribulatione nostra : ut possimus & ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt, per exhortationem qua exhortamur & ipsi a Deo. Quonia sicut abundant passionis Christi in nobis : ita & per Christum abundat consolatio nostra. Sive autem tribulamur, pro vestra exhortatione & salute : sive consolamur, pro vestra consolatione : sive exhortamur, pro vestra exhortatione & salute : quae ope-

ratur tolerantiam earumdem passionum, quas & nos patimur : ut spes nostra firma sit pro vobis : scientes, quoniam sicut socii passionum estis, sic eritis & consolationis : in Christo Iesu Domino nostro.

**Graduale.** Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum : manus enim mea auxiliabitur ei, & brachium meum confortabit eum. V. Nihil proficiet inimicus in eo : & filius iniquitatis non nocet ei. Alleluya, alleluya. V. Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech. Alleluya.

Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.

**I**n illo tempore : Dixit Iesus turbis. Si quis venit ad me, & non odit patrem suum & matrem, & uxorem & filios, & fratres & sorores, adhuc autem & animam suam : non potest meus esse discipulus. Et qui non bajulat crucem suam, & venit post me : non potest meus esse discipulus. Quis enim ex vobis volens turrim aedificare, non prius sedens computat sumptus qui necessarii sunt, si habeat ad perficiendum : ne, posteaquam posuerit fundamentum, & non poterit perficere, omnes qui vident, incipiant illudere ei, dicentes : quia hic homo coepit aedificare, & non potuit consummare ? Aut quis rex iturus committere bellum adversus alium regem, non sedens prius cogitat, si possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum

viginti

viginti millibus venit ad se? Alioquin, adhuc illo longè agente, legationem mittens, rogat ea quæ pacis sunt. Sic ergo omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus quæ possidet: non potest meus esse discipulus. **Credo.**

**Offertorium.** Posuisti Domine in capite ejus coronam de lapide pretioso: vitam petiit à te, & tribuisti ei, allelúja.

**Secreta.**

**S**acrificium exhibitum, quæsumus Domine, benignus assumes: ut quod nomini tuo in solemnitate (vel commemoratiōne) beati Adalberti martyris tui atque Pontificis deferimus, nobis prosit ad veniam. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum.

**Communio.** Semel juravi in sancto meo: semen ejus in æternū manebit: & sedes ejus sicut sol in conspectu meo, & sicut luna perfecta in æternum: & testis in cælo fidelis.

**Postcommunio.**

**R**efecti Domine, muneribus sacris, supplices te deprecamur: ut indulgentiam tuam nobis intercessio beati Adalberti martyris tui atque Pontificis semper impleret. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit.

virginum: de quarum passione gaudent Angeli, & collaudant filium Dei. **Psal.** Exultate justi in Domino: rectos decet collaudatio. **V.** Gloria Patri.

*Psal.*  
32.

**Oratio.**

**D**A nobis, quæsumus Domine Deus noster, sanctarum virginum & martyrum tuarum Vrsulæ & sociarum ejus, palmas incessabili devotiōne venerari: ut quas digna mente non possumus celebrare, humilibus saltem frequentemus obsequiis. Per Dominum nostrum.

**Pro commemoratione sancti Hilarionis Abbatis.**

**Oratio.**

**I**ntercessio nos, quæsumus Domine, beati Hilarionis abbatis commendet: ut quod nostris meritis non valemus, ejus patrocinio assequamur. Per Dominum nostrum.

**Lectio Epistolæ beati Pauli Apóstoli ad Corinthios.**

**F**ratres: De virginibus præceptum Domini non habeo: consilium autem do, tamquam misericordiam consecutus à Domino, ut sim fidelis. Existimo ergo hoc bonum esse propter instantem necessitatem, quoniam bonum est homini sic esse. Alligatus es uxori? noli querere solutionem. Solutus es ab uxore? noli querere uxorem. Si autem acciperis uxorem, non peccasti. Et si nupserit virgo, non peccavit. Tribulationem tamen carnis habebunt hujusmodi. Ego autem vobis parco. Hoc itaque dico, fra-

*1 Cor.*  
7.

**In festo sanctæ VRSULÆ & sociarum. Introitus.**



Audeamus omnes in Domino, diem festum celebrantes sub honore Vndecim millium

tres : tempus breve est. Réliquum est, ut & qui habent uxôres, tamquam non habentes sint : & qui flent, tamquam non flentes : & qui gaudent, tamquam non gaudentes : & qui emunt, tamquam non possidentes : & qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur. Præterit enim figura hujus mundi. Volo autem vos sine sollicitudine esse. Qui sine uxôre est, sollicitus est quæ Dómini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxôre est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxóri : & divisus est. Et mulier innupta & virgo cogitat quæ Dómini sunt : ut sit sancta & corpore & spiritu : in Christo Iesu Dómino nostro.

*Psal.*  
149.

**Graduale.** Exultabunt sancti in glória: lætabuntur in cubilibus suis.

**Y.** Cantate Dómino canticum novum : laus ejus in Ecclesia sanctórum.

*Pf. 44.*

**A**llelúja, allelúja. **Y.** Adducéntur Regi vírgines post eã: próximæ ejus afferéntur tibi in lætítia. Allelúja.

**S**equéntia sancti Euangélii secúndum Matthæum.

*Matth.*  
25.

**I**n illo témpore : Dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc : Simile erit regnum cælórum decem vírginibus : quæ accipientes lámpades suas, exiérunt obviam sponso & sponsæ. Quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes. Sed quinque fatuæ, acceptis lampádibus, non sumpserunt óleum secum. Prudentes verò acceperunt óleum in vasis suis cum lampádibus. Moram autem faciente sponso, dormitavérunt omnes,

& dormiérunt. Média autem nocte clamor factus est : Ecce sponsus venit, exite obviam ei. Tunc surrexérunt omnes vírgines illæ, & ornavérunt lámpades suas. Fatuæ autem sapientibus dixerunt : Date nobis de óleo vestro : quia lámpades nostræ extingúuntur. Respondérunt prudentes, dicentes : Ne fortè non sufficiat nobis & vobis ; ite potiùs ad vendentes, & emite vobis. Dum autè irent émere, venit sponsus : & quæ paratæ erant, intravérunt cum eo ad nuptias, & clausa est jánuua. Novíssimè verò veniunt & reliquæ vírgines, dicentes : Dómine, Dñe, áperi nobis. At ille respóndens, ait : Amen dico vobis, nescio vos. Vigilate itaque, quia nescitis diem, neque horam. **C**redo.

**Offertorium.** Afferéntur Regi vírgines post eam : próximæ ejus afferéntur tibi.

**Secreta.**

**I**nténde, quæsumus Dómine, Imúnera altáribus tuis pro sanctárum vírginum & mártirum tuárum Vrsulæ, & sociárum ejus, festivitáte propósita : ut sicut per hæc beáta mystéria, illis glóriam contulísti, ita nobis indulgéntiam largiáris. Per Dóminum nostrum Iesum Christum.

**Pro commemoratione sancti Hilarionis. Secreta.**

**S**acris altáribus, Dómine, hostias superpósitas sanctus Hilarion abbas, quæsumus in salutem nobis provenire depóscat. Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum : Qui te-

cum

cum vivit & regnat in unitate Spiritus sancti Deus: Per omnia secula seculorum. *R.* Amen.

*Communio.* Quinq; prudentes virgines acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus: media autem nocte clamor factus est, ecce sponfus venit, exite obviam Christo Domino.

*Postcommunio.*

**P**raesta nobis, quaesumus Domine, intercedentibus sanctis virginibus & martyribus tuis: ut quod ore contingimus, pura mente capiamus. Per Dominum.

*Pro commemoratione sancti Hilarionis Abbatis.*

*Postcommunio.*

**P**rotegat nos, Domine, cum tui perceptione sacramenti beatus Hilarion abbas, pro nobis intercedendo: ut & conversationis ejus experiamur insignia, & intercessionis percipiamus suffragia. Per Dominum.

FESTA NOVEMBRIS.

In festo SS. martyrum quinque Fratrum Polonorum.

*Introitus.*

**M**ultae tribulationes justorum, & de his omnibus liberavit eos Dominus: Dominus custodit omnia ossa eorum: unum ex his non conteretur. *Psal.* Benedicam Dominum in omni tempore: semper laus ejus in ore meo.

*Gloria Patri. Oratio.*

**S**anctorum nos, quaesumus Domine, martyrum tuorum,

Benedicti, Ioannis, Matthaei, Isaaci, atque Christiani gloriosa hodierna die trophaea laetificent: quatenus eorum interventione, ad illam perveniamus hereditatem, in qua iidem felices angelorum coetibus aggregati, tuae semper maiestatis perfruuntur ineffabili claritate. Per Dominum.

*Lectio libri Sapientiae.*

**H**I sunt viri misericordiae, quorum iustitiae oblivionem non acceperunt. Cum femine eorum permanent bona: hereditas sancta, nepotes eorum. Et in testamentis stetit semen eorum: & filii eorum propter eos in aeternum manent. Generatio eorum, & gloria eorum non derelinquetur. Corpora eorum in pace sepulta sunt: & nomina eorum vivent in secula. Sapientiam eorum narrent omnes populi: & laudem eorum pronuntiet omnis ecclesia sanctorum.

*Graduale.* Ecce quam bonum &

quam jucundum, habitare fratres in unum. *V.* Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron. *Alleluja, allel.* *V.* Hac est vera fraternitas, quae vicit mundi crimina: Christum secuta est, inclyta tenens regna caelestia. *Alleluja.*

*Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.*

**I**n illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Attendite a fermento Phariseorum, quod est hypocrisis. Nihil autem operatum est, quod non reveletur; neque absconditum, quod non sciatur. Quoniam quae in tenebris dixi-

Matth. 25.

Eccli. 44.

Psal. 132.

Die xij.

Pf. 33.

Ibid.

Luca 12.

ftis, in lumine dicentur: & quod in aurem locuti estis in cubiculis, predicabitur in tectis. Dico autem vobis amicis meis: Ne timeamini ab his qui occidunt corpus, & post hæc non habent amplius quid faciant. Ostendam autem vobis quem timeatis. Timeate eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam. Ita dico vobis, hunc timeate. Nonne quinque passeret veniunt dipondio: & unus ex illis non est in oblivione coram Deo? Sed & capilli capitis vestri omnes numerati sunt. Nolite ergo timere: multis passeribus plures estis vos. Dico autem vobis: omnis quicumque confessus fuerit me coram hominibus, & filius hominis confitebitur illum coram angelis Dei. **Credo.**

**Ps. 5.** **Offertorium.** Gloriantur in te omnes qui diligunt nomen tuum, quoniam tu Domine benedices iusto: Domine, ut scuto bonæ voluntatis tuæ, coronasti nos.

**Secreta.**

**H**ostias tibi Domine, sanctorum martyrum tuorum dicatas meritis benignus assume: & ad perpetuum nobis tribue provenire subsidium. Per Dñm.

**Sap. 3.** **Communio.** Et si coram hominibus tormenta passi sunt, Deus tentavit eos: tamquam aurum in fornace probavit eos, & quasi holocausta accepit eos.

**Postcommunio.**

**S**umpsimus Domine, sanctorum martyrum tuorum, Benedicti, Ioannis, Matthæi, Isaaci,

atque Christiani solennia celebrantes, sacramenta cælestia: præsta quæsumus: ut quod temporaliter gerimus, æternis gaudiis consequamur. Per Dominum.

**In festo sanctæ ELISABETH viduæ. Introitus.**



**G**Audeamus omnes in Domino, diem festum celebrantes sub honore beate Elisabeth: de cuius solemnitate gaudent Angeli, & collaudant filium Dei. **Psal.** Eructavit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea regi. **Ps. 44.** Gloria Patri.

**Oratio.**

**T**Vorum corda fidelium, Deus miserator illustra: & beate Elisabeth precibus gloriosis, fac nos prospera mundi despiciere, & cælesti semper consolatione gaudere. Per Dominum.

**Epistola.** Mulierem fortem quis inveniet? **de Comuni nec Virginis nec Martyris.**

**Graduale.** Diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum. **Ps. 44.** Propter veritatem, & mansuetudinem, & iustitiam: & deducet te mirabiliter dextera tua. **Alleluya, alleluya.** **Ps. 44.** Specie tua, & pulchritudine tua: intende, prospere procede, & regna. **Alleluya.**

**Euangelium.** Simile est regnum celorum thesauro abscondito in agro. **ut in Comuni nec Virginis nec Martyris. Et dicitur Credo.**

**Offertorium.** Filie regum in honore tuo: assistit regina adextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate.

**Secreta.**

**Secreta.**


**A**ccépta tibi sit, Dómine, sacrátæ plebis oblátio, pro tuórum honóre sanctórum : quorum se méritis de tribulatióne percípisse cognóscit auxiliúm. Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum : Qui tecum vivit & regnat.

**Communio.** Diffûsa est grátia in lábiis tuis, propterea benedíxit te Deus in ætérnum.

**Postcommunio.**

**S**atiásti, Dómine, famíliam tuam munéribus sacris : ejus quæsumus semper interventióne nos réfove, cujus solémnia celebrâmus. Per Dóminum.

F I N I S.



Compendio della vita di Gesù  
libro primo, proprietà benedictine  
Lectus in terminum.  
Postquam in  
Anni, Domine, familiam  
nam manibus factis: eius  
quodam semper interventione  
nos scilicet, eius solennis cele-  
bramus. Per Dominum.

F I N I S

